Ex MS Arch. Stan. Aug. Regis
Coll. Dogeliū





# In Nomine Domini amen.

Noverint universi tam presentes, quam futuri presentium notitiam habituri. Quod cum ad nos Dei gratia Casimirum Regem Poloniæ nec non terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiaviæ, Pomeraniæque dominum et heredem propter excelentiam Regiæ Maiestatis, qua in eodem Regno Poloniæ favente omnino præfulgemus ordinatio et quelibet dispositio terrarum ducatuum et dominiorum quorumlibet in illo consistentium ad nos pertinere noscatur, omagium fidelitatis per dominum Volkonem olim ducem Plocen. nostrum consanguineum carissimum Magnifico principi Carolo Regi Bohemiæ de eodem dominio Plocen. et territoriis seu districtibus eiusdem ob necessitatem ut fertur præstitum non obstare. Proinde vacante per mortem Claræ memoriæ nostri consanguinei Ducis Volconis prædicti ducatu terra seu dominio Plocen, videlicet Wysnen. et Zakroczymen. a qua denominationem seu appellationem, terra Masovien. censetur habere. Nos ex plenitudine nostræ regiæ de qua prædictum majestatis et etiam ex resignatione libera nepotum nostrorum dominorum ducum Semovithi et Casimiri Principum Masoviæ fratrum Germanorum ad quos eadem terra, ducatus seu dominium ex linea consanguinitatis et collaterali pertinere noscebatur, ac etiam Baronum seu nobilium terræ prædictæ eundem ducatum seu terram Plocensem Wysnensem Zacroczymen. ex illa parte Wislæ fluvii asistente, pro ut in suis limitibus ab antiquo est distincta pro nobis et nostro dominio acceptavimus et etiam applicavimus, et tenore præsentium acceptamus sub modis conditionibus et promissionibus infra scriptis. Primo videlicet promittimus,

In

quod dictos dominos duces Semovitum et Casimirum et nobiles dicte terre Plocen. ab homagio seu fidelitate domino Carolo Regi Bohemiae pro ipsa terra Plocensi praestito, ac ab obligatione eiusdem bona fide exbrigare et etiam liberare. Quodsi id facere quod absit forsitan non possemus, Spondemus firmiter quod Ducatum seu terram Plocensem ex integro et sine contradictione qualibet statim restituemus et resignabimus dominis ducibus praenotatis. Ipsi etiam vice versa Castrum Sochacroviene cum suo territorio quod a nobis ratione homagii praefati obtinere noscuntur nostrae Celsitudini reddere, resignare ac retradere absque difficultate qualibet tenebuntur. Memoratos etiam duces Semovitum et Casimirum et omnes milites ac nobiles dicte terre Plocen., Wyszen et Zakroczymenz post nostrum obitum ab omagio fidelitatis seu obligatione qualibet si absque prole masculina nos decedere contingat dimittimus et facimus liberos ac solutos nullum ius feudi in eisdem terris aliis nostris Consanguineis preter duces praedictos reservantes. Praeterea, si Castra praedicta Plocen. videlicet Wyszen et Zakroczymen capta vel explorata per hostes fierent, aut quovis modo aliquod absit, amitterentur, id in nostrum dampnum converti volumus et deverti. Ipsi autem nihilominus Duces praedicti extunc Castrum Sochacrow hereditarie habeant, et in perpetuum possideant pacifice et quiete. In super promittimus bona fide et sincera inclitam Dominam Elisabeth Ducissam Plocen. Ducis Volkonis praedicti piae memoriae genitricem, sororem nostram Carissimam in suo dotalitio quidquid in terra Plocen. et territorio Zakroczymen, Plonisko et Wyszegraden eadem domina et ducissa obtinet et expresse nostram possessionem Ville Zielona licet eadem villa non contineatur in literis super dotalitio eiusdem Ducisse confecte quantum villa

per

per commutationem pro aliis Villis contentis in literis eius=
dem dotalitii eidem ducisse advenit, atque cessit inviolabiliter
dimittere et gratiose conservare. Si autem eandem ducissam
nobis supervivientibus decedere contigerit ab hac quid quid de
eodem dotalitio ex una parte Wistae in terra Ploczen et territorio
Zakroczymen Plonsko et Wyszegraden fuerit ad nos et ad
possessionem nostram devolvi debeat, et diverti. Quidquid au=
tem ex alia parte Wistae fluvii in districtu Gostinen fuerit
similiter ad Duces Semovitum et Casimirum praedictos divertetur
Caeterum promittimus et firmiter spondemus Ecclesiam Plocen
et Ecclesiam Sancti Michaelis ac venerabilem in Christo
Patrem dominum clementem Episcopum Praelatos et Cano=
nicos et omnem clerum earundem Ecclesiarum ac successo=
res ipsorum nec non omnes milites nobiles et simplices
divites et pauperes et etiam Civitatem terrarum Plocen
Wysnen et Zakroczymen cuncta privilegia et omnia
iura et consuetudines ab antiquo tentas et servatas et
etiam in honoribus donatas usque ad tempora vitae
ipsorum militum aut ad meliorem conditionem et ma=
xime in donationibus et restitutionibus bonorum uni=
versisque per ipsum ducem Wolkonen in orta sua
factis dimittere fovere et inviolabiliter conservare, tali
conditione opposita quod ubi cunque, et sub cuiuscunque
dominio nostro videlicet aut ducum praedictorum mi=
litem aut milites pro tunc vero sua contorali et familia
habitantes mandatum nostrum vel dominorum
ducum praedictorum invenerit ad illius servitia et man=
data a servitio alterius partis nostrae scilicet, aut du=
cum praedictorum absoluti et penitus liberi transire
teneantur, Item si quis miles aut milites habentes do=
minia seu villas ex una parte Wistae fluvii et ex
alia parte eiusdem fluvii in littore aquae vel in terra
in Sylvis Boris et mericis aliquas utilitates ipsos milites
iuxta consuetudinem antiquam dimittere promittimus
vel inviolabiliter conservare. Demum promittimus quod

nullum Capitaneum extraneum interris praedictis Ploceme Wysnie et Zakroczymene nisi terrigenam earundem terrarum statuemus. In quorum Omnium testimonium et evidentiam pleniorem praesentes dedimus nostri ac venerabilium in Christo Patrum dominorum Jaroslai Archiepiscopi Gnesensis ac Clementis Plocens. Episcopi divina gratia Ecclesiarum Sigillorum munimine roboratas. Actum in Plocko die dominico proximo post Exaltationem Sanctae Crucis Anno Domini Millesimo trecentesimo quinquagesimo primo Praesentibus his testibus venerabilibus in Christo Patribus ac dominis Jaroslao Archiepiscopo, et Clemente Episcopo supradictis Pretslao Kasztellano Posnaniens. et Capitaneo Poloniae Henrico Castellano Wisliciens. Przedborio Capitaneo Cujaviae Dobeslao Succamerario Sandomiriens. Mystugio Venatore Cracoviensi Nicolao Cracoviensi Clemente Sandomiriensi subdapiferis Staskone subpincerna Cracoviensi et aliis multis fide dignis